DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VI. APRILIS,

M. SIMONE LE LETTIER Doctore Medico, moderatore.

945.

An Modicus cibi, Medicus ſibi?

GRATISSIMVM humanæ vitæ condimentum ſanitas eſt, quam vt præſentem plerumque negligimus, ſic votis omnibus abſentem expetimus; vt quò vehementiùs ſæuiunt morbi, vrgetque dolorum acerbitas, hoc maior ægrum vrat eius redimendæ cupiditas, adeo blanda eſt ſpirandi pro ſe cuique dulcedo: tùm cuiuis medicum ſe profitenti ſtatim creditur, imò pro numine habetur, qui & ſalutem audet polliceri, & poteſt præſtare: illud audacter faciunt pſeudomedici, hoc egregiè perficiunt veri: vt cùm alii nequeant promiſſis ſtare, expleant alij quod nec promiſêre. Neque verò putes peritiſſimum medendi artificem nunquam non fieri votorum compotem: quidquid moliatur, ſanitatem quidem ſemper intendit, at non ſemper aſſequitur. Obſtat interdum effœta laborantis natura; & licèt cedat illi maior pars morborum, aliqui tamen ſunt, qui dum ægrotantis vires elidunt, ſimul & medentis induſtriam omnem eludunt: atque in tam calamitoſo ſtatu, qui impendentem ſibi interitum æquo animo audire non ſuſtinent, dum ſub falsâ ſanitatis ſpe ſuum in dies morbum proferri poſtulant, nihil aliud promouent quàm quod ſibi metu mortis ipſam producunt mortem: tanti nimirùm eſt animam habere vt agas.

VT nec ſemper, nec cuiuis promptum eſt amiſſam reuocare valetudinem; ita nec præſentem, niſi firma ſit, retinere. Paucorum ea laus eſt, quos velut è cælo demiſſos quiſque tunc maximè ſolet admirari, cùm eorum opem cogitur implorare; quod iis ſæpiùs euenit, qui ſe voluptatibus & deliciis frequentiùs immerſerunt. Scilicet hâc morum lue latiùs in dies ſerpente, ſerpunt & latiùs valetudinis mala, vt adauctam hominum intemperantiam ſequatur iam auctior Medicorum numerus, quorum operâ nemo diu carere poteſt hâc corruptâ ætate. Nonne verò quiſque ſibi poteſt eſſe Medicus? Certè iuſta rerum opifex & conſeruatrix Natura nulli vnquam noſtrûm denegauit, quod ad bene & ſine moleſtia viuendum ſatis eſt: ab aliis viuendi præcepta accipimus, quibus non opus eſſet, ſi ipſam audiremus, non omnes quidem mille ſpecies morborum (ſed quos ipſi vt plurimùm noſtrâ manu fecimus) abinuicem probè dignoſcere & ægris ſuo vitio in ſummum diſcrimen adductis opitulari norunt: at ſanitatem, ſi modò integram ab ortu accepimus, tueri & quoſuis penè morbros præcauêre nemo non poteſt: nec multus in eo labor; vna iucundæ ſalubriſque vitæ lex eſt, quam qui tenuerit, diligentérque ſeruauerit, vix vllis vnquam premetur incommodis.

SCIRE vis quæ ſit hæc beatæ vitæ ſumma? ſectare Frugalitatem, quæ bonæ valetudinis quaſi quædam mater eſt: gulæ luxuriantíque palato frænos iniice: relictâ operoſâ illâ ac ſumptuosâ in parandis conuiuiis ambitione; aſſueſce modico & ſimplici cibo, rebuſque oblatis hilaris vtere. Magna quippe ſanitatis pars eſt bene moratus venter & contumeliæ patiens: ſine faſtidio paſcendus eſt; nec ad rem attinet quid accipiat, perditurus quidquid acceperit. Quod ſi nondum potes voluptatem ciborum temnere, exitum ſpecta. Graue & inutile eſt luxuriari per ſingula & centum rerum ſpecies in vnum miſcêre diſcum, vt tranſeant per vnam gulam terræ mariſq; vaſtatricem: paruo cultu natura contenta eſt: meliùs & minoribus impendiis degitur, ſi ad vnum panem manus porrigitur, qui ſi ſordidus eſt, nec tibi ſapit, expecta tantiſper, mox bonus fiet; etiam ſuauem illum tibi & ſiligineum reddet fames, optimum ciborum condimẽtum: erit hæc cœna adiiciali iucundior. Doles quòd te deficiat panis, ſcito herbas, vbi neceſſe eſt, non pecori tantùm, ſed homini naſci. Quid jam vinum illud amentiæ Pharmacum quæris? Habeas aquam, habeas polentam, vel Regibus ipſis de felicitate controuerſiam facies. Hácce parabili menſâ primi orbis incolæ ſæculorum annos viuebant, ex ciborum paucitate, longâ & ſalubri ſenectute diuites. Nondum opes menſarum diſcrimina fecerant. Carnis deſideria etiam erant in exprobratione: nec terræ ſanguinem, ſed perinde ac cæteræ animantes, aquam potabat innocens hominum genus. Placebat petitus ex horto cibus, expedita res & parata ſemper. Quid tu miraris & optas illorum ætatem, quorum nec tenes, nec imitaris viuendi rationem? Vis illorum annos æquare? æqua & temperantiam. Apage verò imperioſam nonnullorum inediam: aſſis ne feceris publicos illos pædagogos, triſtes & ſuperciliosos alienæ vitæ cenſores, ſuæ hoſtes, qui glandem & cacumina arborum putant idoneum ventris explementum; & ſi hæc quoque deſint, fami medendum fame: demens eſt qui nimiâ frugalitate mortem accelerat, & quod illa ablatura eſt, iam ſibi interdicit. Saginæ ſtomachum laxare ſine ſanitatis detrimento non licet: licet εὐωχεῖσθαι, eoque temperamento cibum ſumere; vt nec corpus, nec animus oneretur.

VT frugi modiciq; victûs præmium, conſtans eſt & à quibuſlibet ærumnis tuta ſanitas; ſic largiores epulas ſua ſemper ſequitur pœna, cruditas nempe & grauis ſarcina vitioſorum humorum, è quorum cœno morborum examina pullulant, qui non modò ſingulares ac ſimplices ſunt, ſed diuerſi, multiplices, cõplicati, maligni. Nec ſolùm corpori, ſed & animæ ſua quoque ſunt ab edacitate damna. Opimè paſtum corpus menti iter ad ſapientiam obſtruit, ſpurcaſq; ſordes affricat contagio quodam. Qui hoc vnum ſatagit, vt multo ſe ingurgitet alimento, nonne is ſuum in aluo defoditanimum? Naues ſentinæ plenas qui ſeruare vult, onus detrahit: Tu niſi potũ cibumque ſubducas, nunquam ex intemperantiæ vadis ad tranquillum bonæ mentis & valetudinis portum enatabis: non facilè vehementes perturbationum procellas euadet, cuius venter multo æſtuat mero: hoc niſi ſtatim omne vomitu remetiatur, citò in libidinem deſpumabit. Tot & tam diſcordes cibi etiam inuitis ingeſti viſceribus quid aliud ſunt quàm pleni nauſeantiſque ſtomachi onus, ac penè ferrei ſoporis commeatus? hos ne credas poſſe vnquam concoqui, ſed putrêre penitùs. Quid aues vel ab amne Phaſide deportatas, cortis auibus præfers? magis illæ iuuant quia pluris emuntur. Innumeræ iſtæ conditurae quibus edendi libido iam per ſe nimis incitata magis excitetur; tam multa ac confuſa fercula multos tibi morbos, nî remoueantur, ſunt allatura. Delectat te nidor horum arte quæſitus; at cum aluum ſubierint, vna & eadem fœditas occupabit. Quid has fumo deuſtas carnes, hos piperatos intinctus non credis vrere ſalsâ tabe præcordia? Iſta oſtrea inertiſſimam carnem luto ſaginatam, nihil exiſtimas limoſæ grauitatis inferre exilibus viſcerum venis? voras boletos voluptarium venenum, iubes cœlo proximas rupes cauari vt bibas glacie: neutrum impunè feceris. Quid illam niuem pœnam montium in gulæ voluptatem vertis? hanc tu vocas ſolatium ſtomachi æſtuantis, quæ iecori callum eſt obductura; omninò deſipis ſi bellaria, lagana, Rhyemata aliáque id genus cupedia, quæ vel foſſoris ventriculo graue pondus ſunt, nihil te læſura arbitraris. Hæc victûs anathemata, iſtas menſæ lautitias niſi citò dediſcas, citò te grauia vexabunt atque opprimẽt mala. Decolor & luridâ bile ſuffuſa facies, oculorum, auriumque tormenta, apoplexiæ, febres tenui peſte repentes, neruorum vino madentium tremor, torpor atque contractio, retorti obrigeſcentibus articulis pedum manuumque digiti, omnis generis alui profluuia, peior denique ex cruditate, quam ex fame macies, voluptatum vltrà modum faſque concupitarum vſuræ ſunt, quas pendunt qui genio indulgent, & quibus in ſolo viuendi cauſa palato eſt.

SOLVS itaque felix ille habendus eſt, cui firma corporis animique ſanitas non maioris conſtiterit, quàm frugalitate, qui victùs iucunditatem non tam in ſatietate, quàm in deſiderio duxerit reponendam. Nec mirum ſi rarus imò nullus ipſi aſſidet Medicus. Qui hanc ſibi viuendi legem dixit, firmiſſimum habet aduerſus morbos quoſlibet munimentum; ita ſiquidem ingeſtum parciùs alimentum nullam naturæ vim infert, nihil ipſi moleſtiæ, aut negotii exhibet: ſed facile à ventriculo euictum leuique iecoris operâ in ſanguinem verſum natiuum calorem corporiſque ſubſtantiam tuetur & reficit, facultates omnes earumque functiones firmat, humorum æquabilitatem, motus, ſenſus, mentis denique vires integras incolumeſque conſeruat: nullus prætereà eſt in tam facili ciborum concoctione, diſtributione, & felici nutritione ſuperuacaneis ſuccis & cruditati locus: ac ſi qui fortè alicubi hæſerint, calor natiuus abſoluendo penſo, cibiſque quos habet ad manum ſubigendis minimè impeditus, vireſque exerens ſuas, illos exterit, ſuo modo concoquit, domat & in vias deducit per quas naturæ impulſu, è patenti & vndique peruio corpore exturbentur. Nec verò mediocris alimenti vſus ſalubre tantùm, & ab omni morbo vacuum reddit corpus; ſed & ipſi proceritatem adfert, venuſtatemque conciliat. Quid multa? Natura omninò libera ſuique juris, ita nobis ſalutaria quæque continenter procurat, vt aliquando vnius ὀλιγοσιτίας ope, periculoſi & ancipites morbi felicem, eumque admirabilem, & ad quem nulla ars dirigebat, exitum inuenerint.

Ergo Modicus cibi, Medicus ſibi.



Proponebat Lutetiæ LVDOVICVS LE NOIR, Pariſienſis. A. R. S. H. M. DC. XLV.